

praesumant, si, antequam ad episcopum conprovincialem discidii causam dixerint, et prius uxores, quam iudicio damnentur, abiecerint, a communione ecclesiarum ac sancti populi coetu pro eo, quod fidem coniugii maculant, excludantur. Et item in concilio Heliberritano: *Femine*⁶⁸, *quae nulla praecedente causa reliquerint viros suos et aliis se copulaverint, nec in finem accipiant communionem.*

Quia vero haec qualiscumque compactio non solum communi consensu licentiose, immo fideiussorum obstructione, sub obtentu religionis propter habitus religiosi adsumptionem dispacta est, quid de huiusmodi sacrae definitiones decernant, licet ipsi melius noveritis, conscribimus.

In^w concilio Cartaginensi capitulo CIII de⁶⁹ *viduis quae professa continentia velatae sunt*, ita scriptum habetur: *Sicut bonum est castitatis proemium, ita et maiori observantia et praeceptione custodiendum est, ut, si quae viduae quamlibet adhuc in minoribus annis positae et matura aetate a viro relictae se devoverint deo et veste laicali abiecta sub testimonio episcopi et ecclesiarum religioso habitu apparuerint, postea vero ad nuptias saeculares transierint, secundum apostolum damnationem habebunt, quoniam fidem castitatis, quam deo voverunt, irritam facere ausae^x sunt. Tales ergo personae sine Christianorum communione maneant, quae etiam nec in convivio cum Christianis communicent. Nam si adultere coniuges reatu sunt suis viris obnoxiae, quanto magis viduae, quae religiositatem mutaverunt, crimine adulterii notabuntur, si devotionem, quam deo sponte obtulerunt, libidinosa voluptate corruperint atque ad secundas^y nuptias transitum fecerint? Quae, etsi violentia inruente ab aliquo praeceptae fuerint ac postea delectatione libidinis^z permanere in coniugio raptori vel violenti viro consenserint, damnatione superius comprehensa teneantur obnoxiae. De talibus enim ait apostolus: Cum luxuriatae fuerint, nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Aurelius episcopus ecclesiae Carthaginensis subscripsi. Donatianus Taleptensis primae sedis subscripsi. Augustinus Ippone^a Regensis subscripsi. Similiter omnes episcopi subscripserunt. Simmacus^b quoque papa in decretis ad Cessarium^c episco-*

w) Beginn des Textes A₁. x) verb. aus ausa A₁. y) -c- auf Rasur A. z) so A₁; libinis A. a) Yppone A₁. b) Symmachus A₁. c) Cessarum A₁.

⁶⁸) Elvira c. 8, u. a. überliefert in der Collectio Hispana (Martínez Díez [wie Anm. 19] 4 S. 244, 182 f. = Collectio Dacheriana c. I, 75 (d' Achery / de la Barre, wie Anm. 22, S. 527).

⁶⁹) Karthago IV c. 104 und Subskriptionen der Collectio Hispana (Martínez Díez [wie Anm. 19] 3 S. 374, 529–375, 548 und 376, 567–570) mit Varianten der Hispana Gallica Augustodunensis (Sigle F der Edition). Der Kanon ist in der Fassung der HGA im Paris. 12445 enthalten, vgl. oben S. 24.